

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Tekst kompilowany uwzględniający wersje sandomierską i krakowską

Rękopis Klasztoru OO. Paulinów w Częstochowie, sygn. II-3, s. 125–126

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 62 [Gn. 61]

[62] Mulier pro armis bellicis dare debet gladium mariti et suum ru[n]tinum vel dextrarium meliorem sellatum et meliora arma, que habuerit pro corpore unius viri, cum decessit in sua potencia, deinde dare debet pulvinar bellicale, hoc est lectum et duo cussina, et duo linthiamina, et unum mensale, et duas pelves, et unum manutergium. Hec sunt universalia bellica arma. Sed tamen diversa [/] componunt aliqui homines, que tamen ad ea non pertinent, sed quidquid ex eis nominatis mulier non habuerit, ad hoc, ut det, compelli non potest, si iuramento probaverit pro qualibet re per se. Sed ubi patenter ostenditur, ibi vir n[e]c mulier per iuramentum evadere potest. Ubi duo vel tres ad vii bellica arma nati fuerint, senior recipit gladium pro se et cetera divident inter se equaliter. Et ubi pupilli ad annos pubertatis nondum attigerint, eorum senior recipit arma bellica solus, et in eis erit tutor quousque ad annos discretionis pervenerint, extunc ipsis reddere tenetur et insuper omnia ipsorum bona, nisi eis rationem fecerit, quo ea ad eorum usus converterit, aut per spolium aut per apparens infortunium, absque voluntate ammisericit. Ipse eciam est vidue tutor, quousque maritum duxerit, qui paris condicionis fuerit. Postea arma bellica mulier vite provisionem recipere potest et alia omnia, que ad suppellectilia pertinent, hoc est omnes oves et auce, ciste cum elevatis tecturis, omnia strata pulmentaria, cussina, linthiamina mensalia, pelves, manutergia, lucibula, candelabra, semen linium, et omnia muliebra crinalia, psalteria et omnes libri, in quibus mulieres legere consueverunt, qui ad Dei servicium pertinent, sedilia et scrinia, capeta, vela dorsalia, tectoria, balneamina et omnia pepla, et omnia ornamenta capitis muliebra, que ad suppellectilia pertinent, /s. 126] singulariter non nomino ea, videlicet seticule, pectines, forpices, specula. Sed tela non incisa, nec argentum, nec aurum non textum non pertinet ad mulieres. Si quidquid extra prenominata in rebus inventum fuerit, circa vitam viri, qui mortuus, redimet, si vult, ad quem de iure pertinet. Sacerdos dividet cum fratre, sed non qui monachus sit. Si puer annos pubertatis non perveniens religionem intraverit, bene potest exire intra annos, si vult, et ius servat feodale et terrestre. Si autem vir, qui dum annos pubertatis implevit, intraverit religionem, hic se a iure terrestri ac feodali alienavit, et sua feoda nominata, quia scutum bellicum resignavit. Si hoc possit protestare per hos, qui similem vitam visus est successisse.

[hasła: hergewet, gerada, kobieta, miecz, koń, mąż, przysięga, pełnoletniość, lata sprawne, pupil, dobra, opiekun, wdowa, równy stanem, klejnot, srebro, złoto, zobowiązanie, kapłan, mnich, transakcja, lenno]